

linquens nullum eorum vellet facere, scilicet nec eam in uxorem ducere, nec dotare, vel fortè non potest aliquid horum facere, quia est uxoratus, vel est ita pauper quod non potest solvere dotem, tunc poterit per iudicem puniri pœna supradicta juris civilis: ita apertè colligitur ex mente Glossæ & Doctorum in *dist. cap. & in locis supra citatis.* Item etiam eo casu quo non vult eam ducere in uxorem, sed tantum dotare, debet adhuc puniri aliqua levi pœna, quæ omnia notantur & colliguntur ex *dist. capit. 1.*

10. Secundò quæro, an dispositio text. in *dist. cap. 1. de Adulter.* & ejus pœna, habeat locum etiamsi quis corrupit & defloravit virginem spontè, & sic ea volente & consentiente; & videtur quod non: imò tunc corrupens evitat pœnam: quia requiritur ex parte corruptentis violentia, vel saltem persuasio, fraus, vel dolus; quibus eam subducatur: quod probat text. in *dist. cap. 1. in quantum dicit, si seduxerit quis virginem,* &c. probat etiam text. in *l. 1. vers. Is autem, ff. de Servis fugitivis,* ubi probatur quòd quando quis delinquit incitatus à personâ vel re super qua delinquitur; mitius punitur, quia evitat pœnam, si postea pœniteat, & lucrum perceptum restituat: unde si quis servum fugitivum ad se venientem detineat & occultavit, sed postea infra 20. dies domino restituat, evitat pœnam: & ad hoc notant & commendant ibi Bart. & communiter alii DD. idem Bart. in *l. Qui ea mente, ff. de Furtis, col. 1. oppos. 2.* Ex quo infert quod si in domum alicujus veniunt gallinæ vel pulli alterius, vel animalia similia, & illic retineat cum mala fide, & postea pœnitentia ductus, dimittat vel domino reddat, non ponitur, sed excusatur à pœna: probat etiam text. in *l. 3. §. Si quis volentem, ff. de Libero homine exhibendo,* ubi habetur quòd non tenetur quis pœna illius edicti vel tituli, quando liberum hominem volentem retinuit; tamen si dolo fraude, vel caliditate retinuit, vel seduxit, bene tenetur: text. in *leg. 1. §. Persuadere, ff. de Servo corrupto,* ubi habetur quod persuadere & compellere alium, æquiparantur: & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Dinus in *regula, scienti, de Regul. jur. in cap. 1. Opposit.* Faber in suo *Breviario in l. unic. Cod. de Raptu virginum in fin.* & ibi Bald. *col. fin. num. 20.* probat etiam text. in *l. fin. tit. 7. lib. 4. fori II.* ubi disponitur, quod si aliqua mulier soluta sponte intraverit in domum alterius causa libidinis, non punitur reus aliqua pœna: sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quòd etiamsi non inerveniat, nec probetur aliqua violentia vel persuasio, sed ipsa virgo sponte acquievit, procedit & habet locum dispositio, text. in *dist.*

cap. 1. & ejus pœna, quia semper præsumitur seducta & decepta, argumento text. notabilis in *jure in l. unic. §. penult. Cod. de Raptu virginum, vers. Quia hoc ipsum,* cujus verba sunt: *Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam, inducitur; nisi etenim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenierit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere;* & isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Abb. Panorm. in *dist. cap. 11. Notabili,* & Joan. de An. *l. 1. col. & 1. notabili.* Confirmatur, quia quando quis patitur sibi inferri offensam in corpus, consensus offensi non excusat delinquentem, quia nemo est dominus membrorum suorum, ut in *l. Liber homo, ff. ad legem Aquiliam cum similibus,* & isto fundamento & ratione istam eandem sententiam & conclusionem tenet Petr. de Vernia in *Addit. ad Jacob. Butr. in l. Raptores, Cod. de Episc. & Cler.* Sed ultra DD. pro concordia videtur dicendum: quòd si probetur violentia, dolus, vel persuasio viri absque dubio teneatur, similiter etiam in dubio, quando non constet de ejus violentia, dolo, vel persuasione, teneatur, licet mulier consenserit; si verò expressè constet & probetur quod ipsa mulier se ingessit & consensit absque aliqua violentia, dolo, vel persuasione viri, nullo modo teneretur; & ita procedat prima sententia & opinio Dini & aliorum, & ita ego practicarem.

11. Tertiò principaliter quæro, si fortè ista virgo postquam fuit corrupta contraxit matrimonium cum alio, & non cum ipso corruptente, & habet dotem competentem à patre vel matre, vel ex suo patrimonio: an talis corrupens teneatur eam dotare, & habeat locum dispositio text. in *dist. cap. 1. & videtur quòd non.* Primò, quia cessat ratio fundamentalis illius capituli, nam ipsa mulier jam est nupta, & impossibile est de jure quod corrupens ducat eam in uxorem. Item etiam est dotata, & reperit cui nubere possit: ergo non superest aliquid agendum ab ipso corruptente. Confirmatur, quia licet pater vel ascendens teneatur alimenta præstare filio vel descendenti, tamen illud est verum & procedit, præterquam si habeat officium unde se alere possit: text. est in *l. Si quis à liberis, vers. Denique, ff. de Liberis agnoscendis,* & ibi communiter DD. Sed ego teneo contrarium, imò quod adhuc teneatur ipse corruptens eam dotare: quia licet ipsa aliunde fuerit dotata, non tamen eximitur ipse ab obligatione, quam de jure incurrit: nec est inconueniens, quòd constante matrimonio ipsa mulier nupta recipiat dotem vel augmentum dotis.

12. Pro qua sententia & conclusione facit bene Glossa singularis & unica in *l. Obligamur, ff. de Af.*

Af. & oblig. in verb. lege, ubi dicit, quòd licet filia in potestate patris constituta, fuerit jam nupta, tamen pater tenetur eam dotare, ut se liberet ab obligatione legali: quam Glos. ad hoc reputat ibi singularem & unicam Alber. de Ronsa, commendat etiam ibi Angel. & cæteri DD. illum etiam reputat singularem idem Alberic. in *l. Cum His, §. fin. ff. de Condict. indeb. Alexand. in l. 1. ff. Solut. matrim. col. 7. num. 31. & ibi moderni: quòd est verum & procedit, etiamsi filia nubat contra voluntatem patris, saltem de jure canonico, Glos. est singularis in *jure in cap. Hoc factum, num. 32. quest. 2. quem ibi ad hoc notant & commendant Archid. & commun. alii DD. & ad hoc reputat singularem Joan. de Imol. in l. 1. ff. Solut. matrim. 3. col. num. 2. & sequuntur ibi commun. moderni: licet secus sit de jure civili secundum eos: facit etiam text. in *l. de Alimentis cum materia. Cod. de Trans. ubi probatur, quòd ille, cui debentur alimenta ex juris dispositione vel proprio contractu, licet seipsum aluerit de suo, tamen bene poterit petere alimenta præteriti temporis & super eis transigere: & ibi notant Bald. & communiter DD. Nec obstat text. cum communi opinione in *leg. Si quis à liberis, vers. Denique, ff. de Liber. agnosc.* quia ibi alimenta debentur filio vel descendenti ex æquitate, judicis officio, non verò jure actionis, quæ æquitas cessat in illo casu.***

14. Secundò & principaliter est punibilis coitus cum vidua: nam si quis habeat accessum ad viduam honestè viventem, ambo committunt delictum & crimen stupri, & uterque tenetur & punitur pœna supradicta, quæ de jure civili est imposita pro stupro commisso cum virgine: & in expressò ita determinant jura per me superius allegata. Hodie tamen in nostro regno de generali consuetudine non imponitur aliqua pœna pro stupro commisso cum vidua, nec umquam vidi eos puniri vel accusari, unde concludendum videtur, quòd de generali consuetudine & dissimulatione in isto casu ista pœna jam est abolita & præscripta.

15. Tertiò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum consanguinea: nam si quis scienter habeat accessum ad descendente in infinitum, vel ad consanguineam collateralem infra quartum gradum, committit crimen incestus, pro quo imponitur delinquentibus pœna adulterii, & sic mortis & confiscationis honorum; textus est capitalis & expressus in *leg. Si adulterium cum incestu, ff. ad legem Juliam de adulteriis,* cujus verba sunt: *Si adulterium cum incestu committatur, ut puta cum privigna, nuru, noverca, mulier similiter quoque punitur; id enim remotè etiam adulterio eveniret, & ibi tenent Glos. ordinaria Bartol. Alber. Angel. & communiter DD. Anton. Gomez. ad Leg. Tauri.*

Azor. in *Summa. Cod. eodem titul. column. final. num. 26.* Hostiens. in *Summ. extra de adult. penult. col. vers. Quid sit incestus, cum vers. sequent.* Joan. Faber. in *§. Item lex Julia de adult. in fin. Institut. de public. judic. & ibi Platea penult. column. num. 28. & communiter DD. Angel. de Malefic. in part. in che m' ai adulterato pen. fol. vers. Habeas etiam advertentiam, & ibi ejus additionator Paulus Grillandus, in tractatu de Pœnis omnifariam coitus 2. quest. penult. column. vers. 2. verò casu, & 3. quest. column. 2. & idem disponit notabilis lex partitæ 3. tit. 18. part. 7. & hæc eadem pœna habet locum, quando quis scienter habeat accessum ad uxorem consanguinei sui infra eundem quartum gradum: quia ultra adulterium committit crimen incestus. Item etiam si jam sit soluta per mortem viri, committit hoc crimen secundum prædictos DD. ubi supra. Item etiam istud crimen incestus & ejus pœna habet locum, quando quis habet accessum ad aliquam monialem vel religiosam: vel è contra quando soluta habet accessum ad religiosum, secundum eosdem; sed secundum leges Partitæ hoc casu committitur stuprum, & habet locum ejus pœna, ita disponit *lex fin. tit. 19. part. 7.* sed postea lege Ordinamenti redactum est ad primum jus, & declaratur quòd committitur incestus, & habet locum ejus pœna, ut in *leg. 5. titul. 15. lib. 8. Ordinam.**

Advertendum tamen est quòd ista pœna videtur hodiè correctà de jure novo Authenticorum, secundum quod contrahentibus incestas nuptias non imponitur pœna mortis, sed tantum pœna confiscationis omnium bonorum. Item etiam pœna exilii perpetui. Item etiam pœna amissionis officii vel dignitatis, quam habeat. Item etiam si fuerit vilis persona, potest ei imponi pœna flagellorum, text. est in *Authentic. de incestis nuptiis, §. 1. collat. 2. textus in Authentic. incestas. Cod. de Incestis nuptiis,* cujus verba sunt: *Incestas nuptias contrahentis pœna est confiscatio bonorum, tamen cæterorum, quàm dotis, exilium etiam, & singulis si qua ponitur expoliatio, verberatio quoque si vilis est.* Sed pro vera & reali declaratione dico quòd jurâ Authenticorum loquuntur & procedunt, quando quis contraxit matrimonium cum prædicta consanguinea & ad eam habuit accessum sub colore matrimonii, quia illo casu datur aliqua excusatio. Jura autem superiora habeant locum & remaneant incorrecta, quando quis habuit accessum ad eam sine aliquo matrimonio: quò casu nulla datur excusatio: & in expressò istam sententiam & declarationem probat text. in *l. fin. ff. de Condit. sine causa* ibi: *Non enim stupri sed matrimonii gratia datam esse, textus formalis & expressus in l. 3. tit. 18. part. 7.* Hodie tamen cum pœna adulterii non sit mortis, sed

sit alterata de jure novo Authenticorum per textum in *Authentic. sed hodie. Cod. de Adulter. poena incestus erit arbitraria*, argumento text. in *l. Hoc accusare. §. Omnibus. ff. de Accusat.* & cum hac poena arbitraria confiscabitur dimidia pars omnium bonorum: ita disponit textus in *leg. 5. titul. 15. lib. 8. Ordin. & in leg. 7. tit. fin. eod. libr.* & ita practicatur, & jam ego practicavi: quod tamen videtur intelligendum, quando non sunt Filii prioris matrimonii, argumento text. in *leg. 3. titul. 18. part. 7.*

16. Unum tamen est, quod isto casu in probanda copula inter consanguineos, major probatio requiritur, quam in probanda copula inter extraneos: ex quo videtur inferendum, quod licet inter extraneos sufficeret probatio per conjecturas & præsumptiones, non tamen sufficeret inter consanguineos, quia præsumptio honestatis, quæ oritur & colligitur pro ipsis reus ex consanguinitate vel affinitate, excludit & enervat omnes alias præsumptiones, quæ essent contra eos: textus est notabilis in proposito in *leg. Si qui adulterii. Cod. ad legem Juliam de adulterii* ubi habetur quod accusati de adulterio repellantur accusationem prætextu consanguinitatis, cujus verba sunt: *Si qui adulterii fuerint accusati, & obtentu proximitatis intentata depulerint per commemorationem necessitudinis crimini fidem derogando, dum estimatur, non debere credi quod allegatur, vel non potuisse committi.* &c. & ibi ad hoc notant & commendant Jacob. Butr. & Salycet. textus in *leg. Eum qui probabilem. Cod. de Episcop. & Cleric.* in his enim nihil sævi criminis æstimari fœdus naturale permittit, & ibi notant Bald. & alii DD. text. in *cap. Cum in juventute*, vers. *Extra de Præsumptionib.* ubi similia verba ponuntur, text. in *cap. pen. de Cohab. Cler. & mulier.* cujus verba sunt: *A nobis tua fraternitas requisivit: & infra: cum Clericis non permittas mulierculas habitare, nisi fortè de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittat sibi criminis suspicari, & ibi communiter DD.*

17. Ex quo probabiliter potest dubitari, si prædicti consanguinei vel affines reperiantur nudus cum nuda in eodem lecto jacentes, an ex hoc solo præsumatur inter eos copula, & censeatur legitime probata: & videtur quod non, quia licet talis probatio sufficeret & concluderet inter extraneos, ut in *cap. litteris, extra, de præsumptionibus*, tamen non videtur concludere inter consanguineos: quia fortior & vehementior videtur esse præsumptio honestatis, quæ oritur ex consanguinitate vel affinitate, per jura superiora: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Jacobus Butric. in *dict. leg. Si qui adulterii. Cod. ad legem Juliam de adulter.*

& sequitur ibi Salycet. *column. 2. num. 5.* & in expresso per illum textum ita tenet Angel. in *leg. 2. §. fin. num. 3. ff. ad legem Jul. de Adul.* Sed his non obstantibus ego teneo contrarium, imò quod hoc casu censeatur probata copula & crimen incestus inter consanguineos: & in terminis ita probat textus in *dict. cap. Litteris de Præsumpt.* ubi aperte loquitur circa consanguineos vel affines, & dicit quod ex tali præsumptione inducitur plena & juridica probatio contra eos: *consanguineum viri ejusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentes*, &c. & ibi expressè notat Abbas in fine, dicendo quod ex tali præsumptione probatur crimen incestus inter consanguineos vel affines: sequitur etiam & reputat notabile Felin. ibi, *column. 1. in principio*, & dicunt prædicti DD. quia licet ille textus loquatur quando agitur civiliter ad separationem thori, tamen idem est si ageretur criminaliter ad pœnam delicti: cum sit tam vehemens præsumptio, quæ negari non possit, & simus in delicto occulto, quod aliter probari non possit: & ita ego practicavi in quæstione de facto in quo fui assessor, Quod tamen notabiliter intelligerem inter consanguineos collaterales: secus verò inter ascendentes & descendentes: quia ibi concurrit tam vehemens præsumptio honestatis, quod excludit aliam. Item etiam intelligerem quando prædicti consanguinei collaterales jacerent in lecto secreto & occultè: secus verò si palam: quia tunc non sufficeret: ita probat mihi textus notabilis in *dict. cap. Litteris* ibi: dum dicit *multis locis secretis & latebris ad hoc commodis & horis electis*, &c. facit etiam textus in *leg. final. ff. de Ritu nupt.*

18. Item & tertio intelligerem, præterquam in peccato nefando contra naturam cum masculo: quia in ipso, quod duo masculi reperiantur in uno eodemque lecto, ex hoc non præsumitur delictum, nec accessus carnalis: quia cum agatur de probando actu contra naturam, requiritur vera & legitima probatio, quia præsumptio naturalis excludit præsumptionem contrariam, & non sinit eam à jure produci. Ex quo resultat mihi maximum dubium, qualiter possit probari delictum contra naturam, cum difficilimum sit quod testes verè & propriè videant consummationem illius actus: sed teneo pro constanti quod poterit probari per ipsam propriam veram, & realem commissionem & accessum: vel eo ipso quod probatur quod unus est supra alium, vel accedit ei commovendo corpus per actus motivos luxuriæ contra naturam, taliter quod aliud non possit præsumi vel conjecturari, nec ad aliud applicari: & in terminis ita probat text. rectè ponderatus in *l. Cum vir. C. de Adul.* quod est novissimum & per alios non tactum, Ex quibus defen-

debam in hac civitate quandam pauperem à poena mortis, in peccato nefando contra naturam: nam in foro & platea publica hora meridiana coram omni populo accessit ad quoddam animal retro, & super eo extendit pallium & cooperuit pudibunda ejus, & ibi stetit per aliquod spatium temporis, & plures testes dixerunt se hoc vidisse & credere commisisse peccatum nefandum contra naturam, & captus fuit: & judex volebat ei imponere pœnam ordinariam delicti contra naturam, & sic condemnare ad pœnam ignis: sed ego defendebam eum ex defectu probationis, dicendo & allegando, quod ex eo quod erat delictum contra naturam, & in loco publico, & coram omni populo, non deberet præsumi delictum, cum actus & accessus carnalis non sit verè & legitime probatus, argumento superiorum. Item etiam allegabam, quod erat homo infirmus urinæ, & non poterat eam retinere. Item quod in casu vel actu indifferenti, qui potest applicari & intelligi ad delictum vel innocentiam, potius est præsumenda innocentia, quam culpa vel delictum: text. est notabilis in *l. Absentem, ff. de Pœnis*, cujus pulchra verba sunt, *sanctius enim est nocentem impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.* Item quod ex præsumptionibus non approbatis à jure, non debet quis condemnari ad pœnam corporalem: & tandem judex fuit recusatus, & assessor absolvit eum: & judex condemnavit ad torturam, sibi fuit imposita, & nihil confessus fuit: & tandem liberatus & absolutus fuit.

19. Quarto & principaliter est punibilis coitus & accessus cum Clerico, Sacerdote, vel Religioso, vel cum homine conjugato: nam si aliqua mulier etiam soluta & inhonesta habeat accessum ad Clericum vel conjugatum, punitur poena unius marchæ argenteæ: & postquam semel fuerit condemnata, si reinciderit in idem delictum, punitur poena alterius marchæ argenteæ, & insuper in exilio unius anni: & pro tertio vice punitur poena alterius marchæ argenteæ & flagellorum: quæ quidem poena pecuniaria dividitur isto modo: nam duæ partes applicantur fisco, & alia tertia pars applicatur accusatori, vel judici ex officio inquirenti & exequenti: & ista poena principaliter imponitur ut detur occasio quod Clerici, Religiosi & homines conjugati vivant castè, nec inveniant sibi concubinas: ita disponit text. in *leg. 23. & 24. titul. 2. lib. 1. Ordinam. & in pragmatica 95. & 96. lib. pragmat. fol. 88.* postea autem ista poena est augmentata, quia pro prima vice talis concubina punitur in poena prædictæ marchæ argenteæ, & insuper in exilio unius anni ab oppido ubi commisit delictum & ejus territorio: & pro secunda vice punitur poena prædictæ mar-

Anton. Gom. ad Leg. Taur.

chæ argenteæ & in exilio duorum annorum: & pro tertio vice condemnatur poena flagellorum, & poena alterius marchæ argenteæ, & exilio unius anni, ita disponit hodiè quoddam capitulum de *los Corregidores, fol. 5. col. 2.* & postea fuit alterata & augmentata prædicta poena quia pro secunda vice imponitur poena flagellorum, & exilii unius anni, & alterius marchæ argenteæ: ita disponit *lex 40. in ll. de Madrid.* 20. Prædicta tamen poena non habet locum in muliere conjugata, quia licet sit concubina Clerici vel Religiosi, non potest puniri supra dictis pœnis legalibus: sed tantum maritus potest eam accusare de adulterio: ita probat textus in *leg. Si uxor. vers. Sed & in ea, ff. de Adulter.* ubi habetur quod licet accessus ad meretricem non sit punibilis, tamen debet intelligi in meretrice non conjugata: secus verò in conjugata: quia illa potest de adulterio accusari, & non cadit sub legibus simpliciter loquentibus de accessu & delicto carnali mulierum: & in expresso isto fundamento & ratione ita determinat Joann. Andreas in *Addition. ad Specul. in titulo de injuriis, & damno dato col. 1. in med.* & illud dictum reputat singulare Ludovic. Roman. in *leg. Si vera, §. de Viro, ff. solut. matrim. column. 7. num. 23.* Alegand. in *leg. Plerique, ff. de In jus. vocand. fin. column. num. 12.* & ibi Jas. penult. *column. in fin.* & in terminis ita disponit hodiè *pragmatica 95. fol. 88.* quæ sic quotidie practicatur. Quod tamen singulariter limita & intellige præterquam si maritus talis mulieris concubinae sciret vitam & mores uxoris suæ & pateretur, consentiret & dissimularet cum ea: quia tunc talis mulier possit puniri tanquam concubina clericici vel conjugati, & non gaudeat privilegio mulieris conjugatæ: ita singulariter determinat Joann. Baptistam de Sancto Severino, in *tract. de Debitore fugitivo, column. 13. num. 24.* & illud dictum extollit & reputat novum & singulare Hyppolytus de Marsiliis in *leg. unica, Cod. de Raptu virginum 7. col. numer. 31.* Item adde quod in prædictis casibus judex secularis potest intrare domum clericorum, religiosorum, vel conjugatorum, ad inquirendas prædictas concubinas, & in expresso ita determinat prædicta *pragmatica 96.* 21. Advertendum tamen quod videtur, quod prædictæ leges regni non valeant nec potuerunt inducere & disponere, quod puniantur prædictæ concubinae clericorum, & inquirentur domas earum: quia directè vel indirectè non potest Rex vel Princeps aliquid statuere contra personas Ecclesiasticas vel statum earum, argumento text. in *cap. 1. de Immunitate Ecclesiarum, lib. 6. & in cap. Tantis, dist. 81.* Item etiam quia ex tali processu & sententia lata contra concubinas infam-

mantur ipsi clerici saltem de facto propter criminis connexitatem. Confirmatur etiam ex sententia Constantini, dicentis, quod chlamyde sua cooperiret clericum peccantem, ne ab aliquo videretur, ut habetur in capit. in Scripturis 96. distinct.

Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod Principes nostri licite & justè potuerunt prædictas leges condere contra publicas concubinas clericorum, nec tunc honestas Ecclesiastica maculatur, sed potius defenditur.

Item etiam quia de jure canonico concubinitas & omnis fornicatio est illicita & reprobata, maxime in clericis & personis Ecclesiasticis, ut in capit. Nemo 32. quest. 4. cum aliis: ergo bene possunt leges civiles isto casu coadjuvare & punire, ut in cap. Si in adiutorium distinct. 10. & in cap. 1. Cum ibi notatis, de oper. novi nuntiation. & in expresso reperio, quod ita tenet Ancharr. in regula, ea quæ, de regulis juris, in 6. quest. 23. ubi dicit: quod de hac questione fuit interrogatus & consultus per clarissimum Principem Carolum, & cum deliberatione sibi respondit, quod valent & sunt justæ: idem Ancharr. in consil. 196. Joann. de Andr. in rub. de Adult. column. 2. & fortè ideò cautè prædictæ leges nostræ regiæ tantum loquuntur in isto casu, quando prædictæ concubinæ clericorum sunt publicæ & manifestæ.

22 Unum tamen est quod hoc casu non sufficeret quod probetur clericum, religiosum vel conjugatum, habuisse accessum cum aliqua muliere soluta, nec adhuc eos reperire in flagranti delicto, ut ex hoc talis mulier puniatur prædicta pœna tamquam concubina; sed requiritur, quod probetur publicè & manifestè eam habuisse pro concubina, & pro tali publica concubina sit reputata, quia videntibus & scientibus vicinis ille clericus vel religiosus domum ejus intrat, & conversatur, dando ei necessaria, argumento text. in leg. Si vicinis, Cod. de Nuptiis, & in terminis ita tenent & declarant Hostiens. Joann. Andreas, Abbas & communiter DD. in cap. de eo qui cognosc. consan. uxori suæ. Palac. Rubeus in sua repetit. §. 21. fol. 95. 1. & 2. column. Adde tamen, quod ipse homo conjugatus qui habet prædictam concubinam, potest dici infamis, argumento text. in leg. 2. Cod. de Incestis nuptiis, & ibi expressè tenent Bald. & alii DD.

23 Quintò & principaliter est punibilis coitus & accessus inter dominam & servum proprium: nam si servus habet accessum ad dominam suam, etiam solutam, honestam vel inhonestam, punitur pœna mortis qualificata: quia concrematur, & etiam ipsa domina punitur pœna capitali, id est, mortis: text. est expressus in leg. unica, Cod. de mulieribus quæ se propriis

servis conjunxerunt, & ibi Gloss. ordinaria Bart. Cinus, Jacob. Butr. Bald. Salycet. & communiter DD. & ibi exclamat Cinus contra fœminas quæ tam nefandum crimen committunt, exclamat etiam Angel. de Aretin. in parte, che me aya adulterato, col. 26. vers. Quæro quæ sit pœna stupri, & idem disponit in servo lex 2. tit. 19. part. 7. imò etiamsi talis domina nubat servo suo, vel ei dederit libertatem, & postea nubat ei, uterque punitur pœna: ita disponitur leg. 1. tit. 11. lib. 4. for. 11.

24 Sextò & principaliter est punibilis coitus & accessus tutoris vel curatoris cum pupilla vel adulta sua, nam si tutor habeat accessum ad pupillam suam durante tutela, imò quod magis est, finita tutela, vel curator habeat accessum ad adultam suam durante cura vel ea finita, punitur pœna deportationis, & pœna confiscationis omnium bonorum suorum: textus est in leg. unica, Codic. Si quis eam cuius tutor fuerit, corruerit, & ibi notant Glossa ordinaria Odofred. Bartol. Cinus, Jacob. Butr. Faber. Bald. Salycet. & communiter DD. & licet illa lex tantum loquatur in eo, qui quondam fuit tutor vel curator, & habuit accessum ad pupillam vel adultam jam exceptam à tutela vel cura; tamen eadem ratio est, & à fortiori in eo qui actualiter est tutor vel curator tempore accessus: & in expresso ita tenet ibi Odofred. & est de mente omnium, & probata textu cum ibi notatis in leg. Qui pupillam, ff. ad legem Juliam de adulteriis, & idem disponit textus in leg. 6. tit. 17. part. 7.

25 Ex quo textu in dicta leg. unica, cum communi opinione inferunt singularit. Joan. Faber, in §. Item lex Julia, de Adulteriis, Instit. de public. judic. in fine, quod si custos carceris habeat accessum ad mulierem captam vel incarceratam sub custodia sua, pariter deberet puniri: imò de consuetudine & pœna mortis, & sequitur ibi Joan. de Plat. penultim. column. numer. 50. & illud dictum reputat singulare & unicum Parisius de Puteo in tract. Syndicatus in parte adulterium fol. 43 ubi hoc notabil. extendit ut procedat etiamsi talis mulier sit inhonesta, imò publica meretrix: & in expresso idem tenet Hippolyt. in leg. 1. ff. ad leg. Corneliæ de Sicariis column. 2. num. 5. tenet etiam & commendat Paulus Grilandus in tract. de Penis omnifariam coitus 13. quest. princip. Quod tamen intellige quando talis mulier meretrix, quæ est capta, cognoscitur invita & per vim: secus verò alias, quia mitius deberet puniri: ita Cifuentes in leg. 62. in ll. Taur. 3. col. in fin. Ergo tamen dico, quod cum iste casus à jure non sit decisus, puniretur custos carceris pœna quadam arbitraria, secundum qualitatem personarum & carceris.

26 Septimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum persona alterius sectæ: nam si aliqua mulier virgo, vel vidua Christiana habeat accessum cum homine alterius sectæ, pro prima vice punitur in pœna medietatis confiscationis bonorum, & applicanda certis personis: de quibus in leg. Parti. infra alleganda: & pro secunda vice punitur in pœna mortis, & in pœna confiscationis omnium bonorum: & si fuerit mulier publica vel inhonesta, pro prima vice punitur pœna flagellorum, & pro secunda vice punitur pœna mortis: & si fuerit mulier conjugata, debet poni in manibus & potestate mariti, ut de ea faciat quod velit: text. est in leg. fin. tit. 25. partit. 7. de jure autem communi quæ pœna imponatur, vide text. & DD. in leg. Ne quis Christianam, Cod. de Judæis, & omnino & melius quàm ibi Paulum Grillandum in tract. de Penis omnifariam coitus 12. quest. princ.

27 Octavò & principaliter est punibilis coitus & accessus, quando quis bis contraxit matrimonium, imò hoc casu punitur ex solo matrimonio, modò habuerit accessum ad secundam uxorem, modò non: & de jure communi pœna est arbitraria, & ultra hoc efficitur infamis, text. est in leg. 2. Cod. de Incest. nupt. cujus verba sunt: Neminem qui sub ditione sit Romani nominis binas uxores habere posse vulgò patet, cum etiam in edicto prætoris hujusmodi viri infamia notati sunt, quam rem competens judex inultam esse non patietur, & ibi notat Gloss. ordinaria & communiter DD. text. est in leg. 1. §. fin. ff. de His qui notant. infam. text. in leg. Quid ergo, §. 1. eodem tit. text. in leg. Eam qui duas, Cod. ad leg. Jul. de Adult. facit textus, in cap. de Benedicto 22. quest. 1. & ibi DD. & quod per eum tenet Abb. & DD. in cap. Cum haberet de eo uni duxit in matrim. quam pol. per Adult. Abb. Clar. Præpos. & DD. in cap. Accepisti de sponsa duorum. Hodie tamen iste talis punitur corporaliter isto modo, nam debet sibi publicè imponi signum in fronte, ad instar litteræ q. ita disponit text. in leg. 6. tit. 15. lib. 8. Ordin. in leg. 3. tit. 1. lib. 5. Ordin. & in quantum illa l. dicit ultra pœnas à jure statutas, intelligo de pœna infamiæ quæ erat ipso jure imposita per dictas leges communes supra allegatas. Item etiam intelligo ultra pœnas positas per leg. not. Part. scilicet leg. fin. tit. 17. partit. 7. quæ dicit quod isto casu ille qui bis contraxit matrimonium, punitur in exilio quinque annorum: & insuper confiscantur sibi omnia bona, quæ habebat in illo oppido vel loco, ubi tale matrimonium secundum contraxit; & non extantibus filiis vel nepotibus, quibus bona applicentur, medietas applicatur parti, quæ damnata passa fuit ignoranter, & alia medietas fis-

co: & si ambo scienter contraxerunt prædictum matrimonium, puniuntur pœna prædicti exilii, & in confiscatione bonorum, quæ habebant in illo loco, & non extantibus filiis vel nepotibus, applicantur fisco: sed an isto casu habeat locum pœna stupri, tam de jure civili quàm canonico: & credo quod non, cum ista pœna sit competens. Advertendum tamen quod aliqui litterati hujus regni dicunt, quod illa lex est corrupta, quia non debet dicere quod imponatur delinquenti littera q. quia nulla videtur continere causam vel rationem fundamentalem: sed illa littera debet esse b, quæ fit è contra & sursum, ut patet ad sensum, quasi significet bigamus, & sic est error scriptoris: alii verò dicunt & tenent quod debet dicere ro. quasi male senserit de fide: alii tenent quod debet dicere rr. quasi per illas duas litteras & signa numeralia intelligatur bis contraxisse matrimonium: sed quidquid sit, illa lex comm. practicitur, ut jacet, & imponitur in fronte littera q.

28 Dubium tamen est circa illam legem, an habeat locum in fœmina, quæ contraxit bis matrimonium? & indubitanter teneo quod sic: & non tali fundamento & ratione, quia lex vel dispositio quantumcumque pœnalis & odiosa loquens in masculino extenditur ad fœminam, quando militat eadem ratio: ita probat text. in leg. Si quis in tantum, Cod. Unde vi, juncta Gloss. magn. in 1. quest. & communi opinione, ubi habetur quod pœna illius leg. Loquentis, in masculino extenditur ad fœminas, text. in leg. Una, juncta Glossa in verbo Sponsam, & communis opinio, Cod. de Rapt. virg. text. in leg. Quicumque, Cod. de Ser. fugit. text. in leg. Si quis id quod, ibi: sed & utrumque sexum prætor complexus est, ff. de Jurisdic. omnium jud. textus in leg. 2. Cod. de In jus vocan. text. cum materia in leg. 1. ff. de Verbor. signific. & in terminis hoc apertè probat prædicta lex fin. tit. 17. part. 7. Nec obstat si dicatur quod isto casu maritus potest uxorem accusare de adulterio commisso cum secundo viro, unde videtur cessare alia pœna, argumento text. cum materia in leg. Senatus, ff. de Accus. quia illud est verum, quando esset unicum tantum delictum: sed in nostro casu sunt duo delicta, unum est contractus matrimonii in contemptum Ecclesiæ, & istud punitur per prædict. leges aliud est adulterium, si sequatur copula in offensam mariti; inde meritò talis mulier veniret puniendâ formâ prædictarum legum hujus regni, & postea si maritus accuset, sibi tradetur, secundum formam legum nostri regni.

29 Item etiam circa prædictam legem quæro, si quis ter vel pluries contraxit matrimonium